
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miſcellaneorum

DECADIS III.

EXERCITATIO VI.

De

LIBERALITATE, Modeſtiâ, & cognatis Virtutibus.

Practico-Philoſophica.

Pro diſputationis exercitio ad ſententiarum collationem propoſita

In Gymnaſio Gedanenſi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Profeſſore Publico.

Reſpondentis partes expediente

JOHANNE PAULI,

Stolpenſi Pomerano.

Ad diem 6. Martij. S. N.

In Acroaterio Philoſophico.

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO excripta. ANNO 1638.

VIRIS

Amplitudine & prudentiâ CONSULTISSIMIS, Virtute & eruditione EMINENTISSIMIS CLARISSIMISQUE

DN: JACOBO JANDEKEN, Reipub: Stolpensis Camerario dignissimo.

DN: CASPARO MOLDENHOWERO, J.U.L: Reipub. Schlaviensis Syndico meritissimo,

DN: HILARIO Hoppen / JURIS Advocato Spectatissimo, Judiciique Friedlandensis Assessori primario.

DN: MICHAELI BEGGEROVIO, Reipub: Stolpensis Secretario, & Senatori gravissimo.

DN: CHRISTIANO Wygleben / Scholæ Friedlandensis Rectori perquàm industrio.

Dnnnnn. Avunculo, Cognato, Susceptori, & affinibus suis charissimis, fautoribus ac promotoribus ex pluribus certissimis,

Hoc practico-Philosophicum γύμνασμα ex more & devoto affectu sacratum esse cupit

JOHANNES PAULI, Respondens.

Miscellaneorum
Decadis III. Exercitatio VI.

De Liberalitate,

modestiâ, & cognatis virtutibus.

I.

IN *apologis est, rusticum quendam ex malo sapidissima poma legentem hero urbico quædam donavisse, qui pomorum illectus dulcedine malum in sua rura transtulit. Sed arbor veterrima repentè exaruit, & poma pariter ac malus periêre. Argumentum fabulæ est,* Qui nimium cupiunt, atque inconcessa sequuntur, Desipiunt: cohibet qui sua vota, sapit, *ut illud reddidit* Mantuanus in fab. Aes. p. 39. *Vehemens cupiditatis agitatio humano animo residet: & ad aliena respicienti nunquã sua placent. Ubi plurima acceperit, injuriæ est loco, plura accipere potuisse. Alexandrum M. per Liberi Herculisq; vestigia, & totum terrarum Orbem avara felixq; egit temeritas. Sed modum imperandi satietas non fecit. Ubi omnia occupasset, & in littore maris rubri staret, plus tamen cupienti deerat, quàm quà venerat. Adeò* cupiditati semper, quod acquiratur, superesse videtur. *Hic formandus utilibus præceptis est animus, ut nec nimia desideret: nec absentibus nimis indoleat. Infigenda illa nobis sunt, eoq; meditatione perducenda, ut suâ sponte occurrant salutaria, ac ubiq; desiderata præstò sint. Sine morâ turpis honestiq; veniat distinctio, quà velut regulâ opera vitæ componamus. Ad hanc, ut legem, cuncta & agamus, & exigamus. Non irrite-*

ritemus cupiditates, quarum tutissima est quies: Sed nostris contenti non desideremus cum illis esse, qui in quantacunque refulgeant copiâ, nihil firmi habentes, semper in ulteriora propensi sunt. Eò nos manuducet liberalitas *cum vicinis virtutibus*, sedulitate, sufficientiâ, parsimoniâ, magnificentiâ, *quæ modum opibus appetendis ponunt: &* modestiâ, *quæ honoribus. Earum naturas, ut hac disceptatione lustremus, ordinis poscit consequentia.*

2. *Virtus moralis directa in agente & subjecto proprio inprimis terminata, hactenus discussa fuit, temperantia & fortitudo: Sequitur, quæ* circa alios cumprimis *terminatur. Idque* vel *in sumptibus regendis, qui* vel *mediocres sunt, circa quos liberalitas cum cognatis virtutibus, ut sufficientia & parsimonia, &c. versatur:* vel *magni, circa quos magnificentia:* Vel *in honoribus. Qui iterùm* vel *exigui, circa quos modestia;* vel *eximij, circa quos magnanimitas occupatur. De singulis hac exercitatione agendum.*

3. *Liberalitas spectatur* quà nomen & rem. *Quà* nomen. 1. homonymicè. *Sic interdum notat quamcunque bonarum communicationem, etiam sine modo & ratione factam, quomodo & prodigi liberales dicuntur: interdum bonitatem aliquam ac libertatem servituti & dejectioni animi oppositam. Sic* Terent. Adelp. a. 1. sc. 1. *liberalitate liberos retinere satius esse credo, quàm metu. Sic liberale responsum, quod benignum & libero animo profectum est; Liberalis animus, minimè servus aut abjectus: interdum* generaliter *quamvis beneficentiam & benignitatem, ut cum de jure conceditur, & pœna remittitur. Sic clementiam & mansuetudinem complectitur, quà de suo jure cedunt, & sic alteri benignè faciunt. Quo de significato differentem* V. Crelliũ con: Grotium c. 2. n. 31. & c. 6. n. 17. & 37. *Ubi ex* Cicerone *&* Manutio *liberali-*

ralitatem interdum clementiam complecti ostendit: quandoque omnem virtutem in pecuniâ erogandâ vel accipiendâ occupatam, vel officia promptè communicantem, sic magnificentiam & officiositatem complectitur: interdum specialiter *virtutem in pecuniâ moderatâ occupatam, Ita illis contradistinguitur. Sic hic sumitur.* 2. Etymologicè, *quomodo Logicè aliunde non derivatur, quippe vox ultimatè abstracta: Grammaticè* vel à subjecto *dicitur, libero homine, quòd eo maximè sit digna: quomodo Romani artes in liberales, quas liberis demandabant, & illiberales dividebant, quas servis:* vel ab effecto, *liberando, quòd liberalis beneficiis suis alios è necessitate liberet:* vel à formâ *modoque utendi, quòd liberè alteri subveniat, non ex debito strictè dicto, quomodo justitia alteri suum tribuit.* V. d. 4. t. 9. 3. Synonymicè, *quà dicitur & benignitas, beneficentia, munificentia. Interdum largitas.* Terent. adelph. a. 5. s. 9. *Quod prolubium? quæ isthæc subita est largitas? Largitio.* Cæsar. l. 1. bel. Civil. c. 39. *Cæsar pignore animos Centuriorum devinxit, & largitione militum voluntates redemit. Græcè* ἐλευθεριότης. *Hebr.* נְדָבָה *â* נָדַב, *spontè dare, munificum esse. Germ.* Freygebigkeit / Mildigkeit / gütigkeit.

4. *Quà rem* absolutè & respectivè *spectetur.* Absolutè *quà definitionem, divisionem, subjectum, & affectiones.*

5. *Definitio sit:* Liberalitas est virtus moralis directa, mediocritatem prudentiæ servare faciens circa opes moderatas & privatas largiendas & accipiendas.

6. *Genus est* virtus moralis directa. *Hujus natura ex* d. 3. t. 17. *patet. Differentia partim â formali ratione versandi in liberalitate,* partim *ab objecto, circa quod versatur, est petita.* Ex formali ratione versandi *dicitur mediocritatem prudentiæ servare faciens circa largiendum & accipiendum.*

 For-

Formalis ratio est officium illud, quo liberalis, in quantum formaliter talis est, se circa objectum suum competenter tenere debet. Hoc dicitur esse 1. mediocritatem prudentiæ servare facere. *Mediocritas prudentiæ quid sit*, ex d. 3. t. 8. 14. *patet: servare facere ex* d. 5. t. 6. 2. officium *hoc liberalitatis modum servare facit*, & *in largiendo seu dando*, & *in accipiendo s. sumendo*. In largiendo *persona dantis* animo sit prompta; munere considerata, circumstantiis circumspecta, intentione honesta. Animo prompta, *ne cum tædio, torpore, molestiâ, indignatione aut obtrectatione donet. Vt partim scriptura requirit*, Syrac. 35. v. 11. 12. 2. Cor. 9. v. 7. *& exemplo viduæ paupercula docet.* Luc. 21. v. 2. 3. *partim recta ratio dictat:* habitus *enim omnis facilitat operationem: & signum acquisiti habitus est, promptè operari posse. Vnde dicitur: Liberalitatem non æstimandam* doni magnitudine, sed donantis promptitudine; *Et bis dat, qui citò dat, nil dat, qui munera tardat: partim oppositi ratio suadet, qui enim invitè dat, non dare censetur. Beneficium n. ab invito profectum instar panis lapidosi est, quem esuriens accipere quidem cogitur, sed edere molestum experitur, dicente* Senecâ l. 2. d. benef. c. 7. *Hinc liberalis etiam non rogatus largitur, & petitionem egentis prævenit, velut sol non expectat preces, ut oriatur, sed ultrò splendet, & ab omnib. salutatur.* Epictetus in sent. *Sic Arcesilaus Apellem Chium invisens cum egentem videret, clàm cervicali 10. drachmas supposuit.* Erasm. l. 6. Apoph. §. 30. Senec. c. l. c. 10. Munere considerata, *ut* & *ad facultatem suam respectum habeat, ne plus donet, quàm habeat, & alij sit relaxatio, sibiipsi afflictio, contra* Tobi. 4. v. 8. 9. 2. Cor. 8. v. 3. *spectandus enim est fundus liberalitatis, ne nimis sera in illo sit parsimonia;* Senec. ep: 1. *aut prodigus incipiat esse, non liberalis, & contra re-*

ctam

etiam ratione agat, quæ charitatem à seipsâ incipere dictat: Aut si largissima donet, magnificus evadat, non liberalis tantùm maneat: Et *accipientis necessitatem, ut pro indigentiâ ejus ei succurratur. Ita multum egenti plus dandum, parum minus egenti.* V. Syrac. 12. v. 1. 4. c. 14. v. 13. 14. Prov. 14. v. 31. & ad objecti, *quod largitur, qualitatem, ut illud accipienti prosit, non obsit: nam munus damnosum non munus, sed onus est, ut cum plus vini ebrioso suggeris ad injurgitandum, plus pecuniæ profuso ad prodigendum: & sit bonum* proprium, *non alienum: nam liberalis de alieno est bonorum à justis possessoribus ad alios translator, non veri beneficij oblator; ut Sylla, qui Mario devicto militibus regia donaria de alieno dabat.* Salust. in Catil. c. 3. Cicero 1. officior. §. 43. *Et Papa alijs terras donat, quas ipse non possidet. Quem aut fatuum oportere esse Rex Peru Attabaliba dicebat, qui largiretur, quæ non haberet: aut impium & injustum, qui justis possessorib. sua erepta alienis addiceret.* Benzo l. 3. hist. no. Orb. c. 3. *Sive illud bonum proprium sit acquisitione laboris propriâ, ubi liberalitas tenuior minusq́; promta esse solet, quia proprio sudore parata cariora esse, attentiùs custodiri, & tenaciùs asservari solent. Quomodo quisq́; Poëta suum pöema, quisq́;, amator suam amasiam maximè deperit.* V. Ciceron. l. 14. ad Attic. Aristot. 9. Nicom. c. 6. *Sive hæreditariâ aut aliâ justâ acceptione, ubi major communicatio est, quia aliunde acceptorum non tàm tenax est memoria, ac proprio sudore comparatorum: nec adeò indigentiam esse experti videntur, ac hi:* V. Arist. l. 4. Nicom. c. 2. *Et insuper sit* honestum, *non inhonestum: nam liberalitas ministrare justitiæ debet, non contrariari, non n. virtus virtutem evertit, sed perficit: & inhonesti dator non beneficio splendet, sed vitio sordet. Vt Gnostici etiam uxorem ad stuprum postulanti dandam censebant,*

 bant,

bant, abusi dicto. Luc. 6. v. 30. *Conf.* Ciceron. c. l. §. 42. seq. Et honesto modo acquisitum, *non inhonesto. Vnde de inhonestè acquisitis negant propriè & moraliter liberalitatẽ exerceri posse Ethici. Quomodo fœneratores, lenones, dardanarij manticularij, aleatores, piratæ, & interdum Carnifices similesq́; acquirunt. Eleemosynæ inde porrigi possunt, ex scripturâ.* Dan. 4. v. 24. Luc. 11. v. 41. *Sed illarum finis magis super moralis est, & virtutibus Theologicis propior, quàm moralibus.* Circumstantijs circumspecta, *ut locus, tempus, personæ, coram quibus detur, probè advertantur. Locus, ne aut danti ignominiæ, aut accipienti pudori sit. Sic cum datur loco inconveniente, ut publico, ut videaris, tibi est ostentatio, accipienti pudor.* V. Matt. 6. v. 2. Tempus, *ut justo tempore des, citò, & absq́; procrastinatione. Om. n. benignitas properat, & tarde velle nolentis est, ut* Seneca l. 2. de benef. c. 1. *ait.* Conf. Prov. 3. v. 28. *Hinc illud Poëtæ:* Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia, namq́; quæ fieri properat gratia, grata magis. *Si benè quid facias, facias citò, nam citò factum Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.* Personæ, *coram quibus, ne coram illis detur, qui accipienti opprobrent, aut danti insultent. Sic n. beneficium ingratum evadit: Et* quib. datur, *Vt illos deceat, non dedeceat. Sic Alexander vrbem alicui donavit. Recusanti muneris invidiam & suæ fortunæ non conveniens, non quid te deceat accipere, sed quid me dare, respondit. Regia vox videtur, cum sit stultissima: Quia personæ, cui datum, respectus non observatus.* Senec. l. 2. d. benef. c. 16. Intentione honesta, *ut solius honestatis gratiâ datio exerceatur. Virtus n. sub formali honestatis exerceri debet.* d. 2. t. 14. *Vnde si ob spem lucri, amorem gloriæ, laudis, honoris, metum damni & importunitatis in petente, aut nominis avari effugium, voluptatem inhonestam, datio fiat, non est vera liberalitas. Sic*

Pharisæi. Matt. 6. v. 12. *Tib. Gracchus ob honores, Tiberius Cæsar ob inhonestas potationes ingentia donaria largiebantur. Liberalis officia complectitur* Ovenus l. 3. ep. 184. Vir justus dat cuique suum, sed te dare oportet divitibusq; suum, pauperibusque tuum.

7. *In* accipiendo *spectandus est* vel à liberali *accipiens*, vel ipse liberalis *ab alio sumens. Ille primariò, hic secundariò. In illo requiritur, Ut sit* egenus, dignus, honestus, &alius à nobis ipsis. Egenus, *non n. splendor a. dignitas recipientis, sed necessitas in erogando respicienda* V. Syrac. 29. v. 12. *Unde qui nec ære, nec ope nostrâ indiget, ei non tenemur benefacere.* Dignus, *ut mereatur sibi benefieri: nam indigni supplicia merentur, non beneficia: sed qui digno dedit, dando beneficium recipit.* Seneca. *Sunt a. digni* vel *Ecclesiastici, ut Ecclesiam & Scholas attinentes: His erogandum jussu Dei. Sic in V. T. semicyclus sacer, primitiæ, decimæ, munera cùm mandata, tùm votiva Ecclesiasticis ordinata erant.* Num. 18. v. 21. Deut. 26. v. 12. *In N. T. jussum est, ut altari servientes de eo vivant.* 1. Cor. 9. v. 9. 13. 14. Vel *Politici, qui patriæ & Reip. in civilibus officijs inserviunt. Hic etiam conferendum ad defensionem judiciorum, legum, disciplinæ constitutionem, & executionem. Unde nec tributa necessaria & moderata, nec capitationes, jugationes, aut adærationes, ubi opus, sunt detrectanda, cum civis sua civitati ut communi patriæ debeat, & incommodum sentire æquum sit eum, qui sentiat commodum: si insuper* amici *nobis sint, magis juvandi, sed usq; ad aras;* V. d. 10. c. 13. *Cùm omnia amicorum sint communia, quæ sc. suâ naturâ sunt communicabilia:* V. c. l. t. 18. vel *Oeconomici, ubi parentum, liberorum, cognatorum, habenda ratio.* 1. Tim. 5. v. 8. *Hoc n. jus naturæ & storge naturalis postulat, quam supprimit, quisquis sanguine junctis opem denegat.*

Ho-

Honestus, ne improbus, Reip. noxius & contumax sit, de eujus emendatione spes non sit. Vitia n. non alenda, sed extirpanda sunt. Ita validis mendicantibus, agyrtis, erronibus, otiosis, non dandum: succurritur n. malitiæ, & participamus improbitate illorum, si illos incitamus. Unde & in Politicis negatur tales in bonâ Repub. ferendos esse. V. Camerar. C. 1. c. 16. 17. C. 2. c. 34. 75. *Conf. &* Novell. 8. d. quæst. tit. 9. c. 5. *Excipiuntur tamen improbi, si sint summè egeni, & spes emendandi aliqua subsit. Ubi illud Aristotelis valebit:* οὐκ ἀνθρώπῳ, ἀλλ' ἀνθρωπότητι, non homini, sed humanitati *datum, cum improbo dedisset.* Alius à nobis ipsis, *quia liberalitas est virtus communicativa, quæ aliis communicat, non sibiipsi. Communicatio n. propriè fit alij, impropriè sibiipsi.* Prodesse nobis possumus, liberales esse tantùm in alios. *Sic misericordes, clementes, comes in alios sumus, non nos ipsos.* V. Senec. l. 5. d. benef. c. 9.

8. In ipso liberali *ab alio accipiente spectetur* & *acceptio*, & *conservatio.* Acceptio *sit* prudens, moderata, & necessitate inducta. Prudens, *ut sumat ab illis, qui dare possunt & volunt, non â quovis promiscuè. Nec procax in poscendo erit.* Moderata, *ut sumat, quantum opus est, non nimium: nec sibi divitias acquirat, alteri inopias: modo competente, non artibus illicitis opes quærat; nec rem propriam negligat, ut ipse aliquando liberalis esse queat. Juxta illud: Bonus servatius facit bonum Bonifacium.* Necessitate inducta, *ut non sumat ab alio, nisi necessitate eò adigatur. Liberalitas n. magis consistit in dando, quàm accipiendo: unde* χρήματα *& opes ab utendo dicuntur & opitulando; & plus difficultatis, virtutis, laudis, ac felicitatis habet, dare, juxta* Act. 12. v. 35. *Et ita virtuti vicinius est. Quomodo Ptolomæus Lagi f. Aegypti R. magis regium dicebat ditare, quàm ditescere.* Erasm.

1. apop. in Prol. §. 1. *Conf.* Senec. 1. d. benef. c. 4. *Sic Alexander M. gloriabatur, â nullo se beneficijs victum.* Idem c. 1. c. 6. *Pulcrè in hunc sensum* Boëthius l. 2. prof. 5. Omnes divitiæ effundendo, quàm coacervando, meliùs nitent: *& tùm est pretiosa pecunia, cum translata in alios largiendi usu desinit possideri. Hinc* duo *de liberali Ethicè & moraliter dici solent.* 1. Rarò eum ditescere : *quia magis propendet ad dandum, quàm accipiendum. Vbi tamen Dei benedictio,* Prov. 10. v. 22. *& prudens dispensatio excipienda, si cum Bonifacio prudens sit conjunctus Servatius.* 2. Magis amare *eum suos beneficiarios, quàm ab illis ametur. Cujus ratio* & *beneficiarij dependentia â benefactore,* & *major honesti, quàm utilis duratio,* & *laboriosior dandi, quàm accipiendi acquisitio esse potest. Beneficiarius velut effectum & opus benefacientis est, & sic ab ipso dependet. Efficiens a. magis amat opus suum, quàm amatur ab opere. Sic Poëtæ sua cumprimis amant poemata, parentes liberos, quia effecta: artifices opera sua longè impensiùs amant, quàm ab operibus amarentur, si amare illa possent.* V. c. 6. *Et benefactor dando fit honestus, beneficiarius accipiendo saltem juvatus. Plus autem amatur ingenuo honestas, quàm utilitas.* V. 9. Nicom. c. 7. *Honestas n. ex facto manet, utilitas vel jucunditas, quam percepit beneficiarius, transit. Laboriosius etiam & difficilius est benefacere, quàm bonum accipere. Quæ a. difficiliora, cariora esse solent, Quia non ita facilè acquiruntur.* Conservatio acceptorum *in liberali sit prudens & moderata.* Prudens, *ne temerè perdatur aliquid, cum honestiùs retinetur.* Moderata, *ne justo rigidiùs conservatio exerceatur, nihil alteri communicetur. Reciproca enim accipiẽdi & benefaciẽdi est vicissitudo: Et ut pauper ab alio stipem liberaliter impetrare potest. Ita alij de illâ liberaliter erogare potest. Semper n. magis in virtute hac spectatur datio, quàm*

acceptio. Nec minus est vitij, egenti negare, cum habeas, ac habenti tollere, quod relinquere debeas, ut Ambrosius ferm: 81. *loquitur*.

9. Ab objecto, *circa quod liberalitas versatur, dicitur medium servare* circa opes moderatas. *Objectum liberalitatis* vel *internum est, quod in ipso liberali hæret, estq́; cupiditas opum & sumptuum mediocrium, cujus moderatrix est liberalitas:* vel *externum, quod extra liberalem est, hoc est sumptus mediocris, & quod huic æquipollet. Sumptus nomine intelligitur omnis possessio, cujus æstimatio nummo mensuratur ex hominum instituto: ut supellex, libri, vestimenta, lintea, agri, domus, &c.* Nummus *est mensura rerum æstimandarum ex hominum instituto & communi consensu vim commutandi obtinens. Et plerumq́; ex auro, argento, aut cupro, esse solet. Dicitur vim commutandi* ex hominum consensu *obtinere, quia ex naturâ sui, materiâ, aut essentiâ id non habet, cum per aliud pretium, si homines velint, commutationes rerum peragi queant. Quomodo quibusdam merces pro mercibus permutantur.* V. Plinium l. 33. c. 3. *Americani aurum argentumq́; Hispanis pro rebus ludicris, ut cultellis, aciculis, specillis, pupis, permutârunt: In Mexico Cacao fructu, In Peru Cocâ folio quodam in permutationib. utuntur.* A costa. l. 4. rer. Ind. c. 3. & *in necessitate nummus ex corio, stanno, papyro, pretium mediumq́; commutationis statuitur, ut in Politicis pluribus dici solet. Conf.* Hornei. l. 3. Eth. c. 13. n. 29. *De hoc objecto nota* 1. Sumptus mediocres *verum sunt objectũ liberalitatis. Quod patet* partim *à denominatione liberalitatis, quia à sumptibus formaliter & actus & homo liberalis dicitur. Non n. dicitur liberalis, qui circa cibum vel potum, res bellicas, sermonem, aut mores comes, honores, contractus rerum, vel simile quid versatur: sed qui circa pecuniarum mediocrium erogationes*

aut acceptiones. Vnde a. formaliter liberale aliquid dicitur, id proprium liberalitatis objectum est: partim *ab oppositis ejus, quia opposita liberalitatis, prodigalitas & avaritia, ab injusto actu pecuniarum dicuntur, & sic objecta earum pecuniæ sunt. Ita contrariæ istis vitiis virtutes verum objectum pecunia & sumptus erunt. Habitus n. & privatio sunt circa idem, & medium ac extrema circa eadem objecta versantur. At hæc liberalitas est.* 2. Opes, sumptus, *divitiæ per se sumendo, moraliter non sunt malæ & inhonestæ, sed indifferentes & abstractæ à bono a. malo morali: fiunt bonæ honesto usu possidentis, malæ inhonesto. Sunt n. objectum virtutis alicujus moralis. At talia per se & suâ naturâ non sunt inhonesta. Sic cibus & potus per se non inhonestus, sed objectum virtutis, temperantiæ. Ex vetustioribus* Hieronymus *omnem divitem a. iniquum aut iniqui hæredem facit. Pelagius* ap. Augustin: ep. 107. *Ex Neotericis* Photiniani, ut Smalc. d. div. Chr. c. 5. & dis. 7. c. Frant. t. 142. 143. Ostorodus c. 31. inst. & Anabaptistæ ap. Pontan. c. 1. p. 1. Cat. hær: *divitias in Christiano improbant, & avaritiam ex nimiâ possessione opum, non cupiditate, describunt. Hi etiam bonorum communionē introducunt cum Platonicis. Falsò & contra scripturam.* Ps. 112. v. 3. Prov. 10. v. 22. *Posterior sententia* & *Theologicè*, Prov. 5. v. 17. & *Ethicè, ut quæ liberalitatem moralem tollit,* & *Politicè, quæ studium attentè defendendi publica subvertit, est improbanda ac noxia, ut alibi fusiùs docetur.* Papistarum *quidam etiam divitijs sunt iniquiores, & pro voluntariâ paupertate persuadenda multi sunt.* V. Bellar. l. 2. d. Mona. c. 20. *Falsum & hoc. Nusquam scriptura divitias ordinariè & proprio ausu deserendas, sed rectè dispensandas præcipit.* Prov. 5. v. 16. Tob. 4. v. 7. 1. Tim. 6. v. 18. *Conf.* Ames. l. 5. Cas. Consc. c. 17. Stoici *negârunt, ex opibus & divitijs hominem dicen-*

dum divitem, cum animus hominis dives appelletur, non arca. Vid. Ciceron. parad. 6. *Sed hic usitatus Stoicis vocum abusus occurrit. Sufficiens propriè, & largus ac liberalis ab animo virtuoso homo dicitur: dives à possessionibus & pecunijs.* 3. Objectum *liberalitatis, si vox largè sumatur pro virtute vel opes vel officia communicante, quomodo sumi* t. 3. *dictum, extendi potest etiam ad communicationem* officiorum, *quomodo sub liberalitate officiositatem & munificentiam comprehendere solent.* V. Timpl. l. 3. Eth. c. 9. q. 4. *Ita* Ambrosius 1. d. offic. Seneca l. 1. de benef. c. 2. Cicero 1. &2. off. *aut operâ, aut pecuniâ, aut subsidio rei, aut operis collatione, liberalitatem impendi dicunt: Vt tamen pressiùs sumitur, prout usus hodiè sumi fert, ita liberalitas in opibus, officiositas in officiis esse dicitur, & cognatum aliquod liberalitatis statui potest.* v. t. 13. *Ita objectum liberalitatis adæquatum opes & sumptus manebunt.*

10. *Fuit* definitio *liberalitatis, & ex eâ* objectum: *sequitur* divisio. *Ea* vel *q. in species,* vel *gradus. Ex speciebus analogicis* liberalitas vel est sacra, vel civilis. Sacra, *quæ sacri finis ergò exercetur. Hæc primò huc non pertinet, sed ad Theologiam, ubi in doctrinâ de eleemosynis tractari solet.* Civilis *est, quæ civiliter & pro fine civili exercetur, &* t. 5. *definita. Hæc* sumptuaria vel tractatoria *esse potest.* Sumptuaria, *quæ sumptus & munera erogat.* Tractatoria, *quæ convivia & hospitia. Dicitur & hospitalitas. De sumptuariâ* t. 5. 6. *actum.* Hospitalitas *est* liberalitas peregrinos & hospites benevolè complectens, & officiis hospitalibus prosequens. *Dicitur ab hospite, qui hic quivis extraneus à domo est, ut advena à civitate. Frequenter jubetur in sacris, utilisq́; est ad societatem humanam servandam, cùm domum hospitiumq́; nemo secum ferre queat: amicitias exterorum concili-*

andas, quæ interdum necessariæ esse possunt: & varia virtutum genera exercenda, ut officiositatē, humanitatē, comitatē, justitiam &c. Exempla ejus ap. Zuingerum vol. 14.l.2. *Vide.* Officia *ejus sunt* comis exceptio, liberalis tractatio *verbis, operibus & rebus exhibita,* & amica dimissio, *ne intempestivè detineatur hospes, aut manere volens inhumanè expellatur.* Opposita *ejus sunt,* excessus & πολυξενία, *nimia hospitum exceptio, etiam improborum, notoriè sceleratorum; nimia in ipsos profusio, ut ipsi careamus:* & defectus, ἀξενία, *inhospitalitas, negatio hospitiorum, ubi necessaria & honesta sunt, aut receptorum inhumana tractatio.* An Jahel Sisseram hospitem occidens contra leges hospitii egerit, Jud. 4. *hic quæri solet? Negari solet, quia* & *objectum interfectum erat hostis publicus & bannitus Dei per Deboram proscriptus.* Jud. 4. v. 7. & *interficiens divino motu incitata fuit, quod & è prædictione,* v. 9. & *consequente divinâ approbatione* c. 5. v. 24. *patet. Conf.* Martyrem in c. 4. Jud. & class. 2. L. C. loc. 12. §. 10. Velstenium dec. 7. Eth. q. 10. *aliosq́.*

II. Ex gradibus *liberalitas* vel *vulgaris* vel *singularis esse potest. Vulgaris* c. 5. 6. *tractata. Singularis est, quæ usitatum gradum transendit. Dicitur* Magnificentia, *quæ est* liberalitas sublimior, in magnitudine sumptuum decorum servans publicæ honestatis gratiâ. An specie, an gradu *differat à liberalitate, statim hic quæritur? Quidam specie differre volunt.* Arnisæus l. 2. Polit. c. 5. Gutkius d. 7. Eth. q. 1. Elerus d. 8. Eth. c. 11. Evenius d. 8. Eth. th. 1. n. 5. Acciaolus l. 4. Eth. c. 2. *aliiq́. 1. Quòd objectis formalibus Ethicè differant. Liberalitas circa sumptus mediocres & privatos versetur, quibus sufficiat persona privata; magnificentia circa ingentes & publicos, quibus potissimùm publica requiratur. Publicum autem & privatum Ethicum formale mutant,*

etsi magnum & parvum gradus tantùm diversificent, in quibus hic magis materiale Ethicum est, quàm formale. Sic modestia & magnanimitas Ethicè specie differunt ratione publici & privati honoris, quomodo in quosvis homines non cadunt; etsi ratione majoris aut mediocris honoris tantùm gradibus differant. 2. Quòd *habeant extrema diversa, magnificentia sorditiem & luxum, liberalitas avaritiam & prodigalitatem.* 3. Quòd *fines diversos habeant. Liberalis, ut prosit dignis & egenis, & ad honestatem cuncta referat: magnificus, ut & erga seipsum splendidè se gerat, extruendo magnifica ædificia; & publicum finem potissimum intendat, ut publicum splendorem ac majestatem Reipublicæ defendat.* 4. Quòd *diversa subjecta requirant. Liberalis etiam privatus, pauper, & miser esse potest. Magnificus publica persona, splendida, & amplæ fortunæ, generis, ac conditionis est. Pauper nequit esse magnificus,* t. 12. *Et liberalis in seipsum nemo esse potest,* t. 7. *At magnificus etiam in sese aliquis esse potest.* t. 12. 5. Quòd *diversos versandi modos habeant. Liberalis vulgari modo agit: magnificus singulari pompâ & splendore. Liberalis in dando & accipiendo est occupatus: Magnificus in sumptibus faciendis tantùm.* Alij *gradibus differre volunt.* Piccolomin. gr. 4. c. 29. 49. Alsted. Eth. 3. c. 16. §. 8. Timpler. c. 1. q. 24. Keckerm. l. 2. Eth. c. 6. Casus l. 4. spe mor. c. 1. 2. Ursinus d. 10. qu. ill. qu. Eth. Hornejus l. 3. Eth. c. 7. n. 6. Bartholin. l. 2. Eth. c. 6. *Et huc inclinat* Aristot. 4. Nicom. c. 4. *ubi magnitudine liberalitatem excedere magnificentiam, & magnificum continuò liberalem esse oportere ait. Unde per conjugata sequitur, E. magnificentia omninò est liberalitas, & sic non totâ specie ab illâ differt. Nam in his non licet ab uno ad aliud affirmatè concludere. Sic non dices: Liberalitas est modestia, vel liberalis est modestus: albedo est viror, vel albus*

est

est viridis. Quanquam Timplerus c. l. *oppositam ei sententiam tribuit. Probatur hoc* 1. Quia *utriusq; idem objectum & materiale, sumptus, & formale, prudenter ad mediocritatem virtuosam dispensandus. Vtraq; modum largitioni statuit, observat in dando circumstantias, promptè, citò, largiter dat, potiùs in dando, quàm accipiendo occupatur. Publicum & privatum* modum objecti *saltem variat, non speciem, & ita specificum discrimen nondum facit. Sic non specie differt justitia publica, quæ in publico objecto occupatur, à privatâ, quæ in privato.* 2. Quia *fine conveniunt, honestate morali. Etsi is aliquid adjunctum habeat in magnificentiâ, quod non in liberalitate.* Modale *hinc discrimen, non statim specificum. Liberalis prodest: Magnificus prodest splendidè, vel sibi vel aliys. Prodesse in utraq; virtute est: modus diversus.* Pro conciliatione *nota:* 1. Specie differre vel *sumitur strictè, pro formis disparatis aut oppositis differre, ut homo, asinus, leo, albedo, nigredo: Ita hic non specie differunt. Talia enim sibi non subordinantur, quomodo magnificentia subordinatur liberalitati, ut omnis magnificus necessariò sit liberalis, etsi non contrà, ut ante ex* Arist: *visum: Et talia totis objectis differunt, ut temperantia & fortitudo, cum liberalitas & magnificentia iis conveniant: Nec de se affirmatè prædicantur, ut albus est niger, quomodo de magnifico liberalis prædicatur:* vel latè, *pro diversis agendi modis &* objectis specialiter modificatis *differre, ut alius objecti modus sit in unâ virtute, alius in alterâ: Ita per analogiam specie differre possunt: Ita & diversus finis modus in utraq; est.* 2. Extrema *in utraq; virtute realiter sunt eadem, modaliter diversa. Sordities etiam est avaritia quædam, sed in publico & splendido sumptu, sicut avaritia in privato & mediocri. Et luxus est prodigalitas, sed in sumptu magno & publicè adhibendo exercita; sicut in privato simpliciter*

ter prodigalitas dicitur. 3. Subjecti varietas *accidentale & modale discrimen facit, non essentiale. Sic visus bovis & leonis non differunt specie, etsi subjecta specie diversa. Sic esse in splendido aut publico, privato aut misero, splendidiorem & depressiorem, majorem aut minorem, privatam aut publicã virtutem facit: prorsùs aliam virtutis speciem non facit. Sic quod pauper nequeat esse magnificus, sed liberalis, aliquod discrimen infert, & plura magnificentiæ requisita, quàm liberalitatis esse, evincit. Essentiale tamen hinc non est discrimen. Sic modestus, in quantum talis, nequit esse magnanimus, non tamen specie totâ illa inde differunt. Plura in discursu.*

12. Subjectum *ejus est persona publica, honesta, splendida, fortunâ & conditione ampla ac dives, ut magnos sumptus impendere possit. Vnde pauper nequit esse magnificus,* c. 11. *Etsi affectu esse posse quidam ajunt.* Timpl. c. l. q. 25. *Sed affectus ad virtutem non sufficit, sed habitus, & ex illo actus, qui in paupere esse nequit. Vnde rectiùs negatur magnificus esse posse cum* Alsted. Eth. 1. c. 18. q. 8. *Et homo inhonestus, aut qui inhonestè bona corrasit, etsi ampla largiatur, magnificus non est. Vt latro de prædis, meretricula de donariis suis largiter profundens.* Objectum *est & sumptus ingens: & opus sumptuosum, quod magnos sumptus requirit, & personæ fastigio sumptuumq; magnitudini respondet, ut nemo eodem sumptu magnificentius parare possit. Tale opus* vel publicum *est, quod in pubicum commodũ erigitur: idq;* vel Ecclesiasticum, *ut templum, ita Salomonis* 1. Reg. 6. *Constantini ap.* Nicephorum l. 7. c. 49. *Gymnasium, Collegium, &c. Huc &* stipendia publica *lautiora in studiorum usum destinata pertinent:* vel politicum, *ut ædificia splendida, Curiæ, æraria, armamentaria. Sic Augustus marmoream Romam post latericiam reliquit,* Suet. Aug. §. 28. Vel privatum, *quod in ipsius*

Magnifici aut suorum usus paratur, ut splendida domus, nuptiæ, convivia, familia, servitus, vestis, &c. Opposita *ejus sunt* partim excessus, *luxus, qui est prodigalitas sumptus magnos nimium profundens. Peccat* vel *ratione modi, cum impenduntur non decorè: Vt cum Nero reti aurato, funibus purpurâ coccoq; nexis piscabatur, mulos argenteis soleis habebat.* Sueton. Ner. §. 30. *aut cum ædificia nimis sumptuosa struuntur. Vt idem* ap. Suet. c. l. §. 31. *& Caligula apud eundem in* Calig. §. 37. vel *ratione objecti, cum in objectum indignum impenduntur. Sic Caligula in histriones, gladiatores intra annum 666. auri tonnas profudit.* Sveton. Cal. §. 37. *Heliogabalus in cænas duos milliones & ultrà interdum insumpsit.* Lamprid. in Heliog. *Nero in citharoedos & foeneratores ingentia prodegit.* Suet. c. l. *Prætoriano militi 250000. Philippicos dari jussit. Et visâ summâ negavit Principi convenire, ac duplicari jussit.* Dio l. 61. Vel *ratione finis, cum solius ostentationis gratiâ insumuntur. Ita pyramides ab Regibus Aegyptijs structæ, & muri Babylonis â Semiramide vel Belo conditi.* Curt: l. 5. c. 1. *partim* defectus, *sordities, quæ est avaritia in res magnas minimum egerens, aut turpium lucrum captans. Ita Fl: Vespasianus ex vrinâ vectigal sumsit, & negotiationes privatas etiam pudendas exercuit.* Sueto. Flau. c. 16. 23. *Pescenninus Niger Palæstinis rogantibus, ut censio levaretur, quòd regio gravata esset, respondit: Ego & aërem vestrum, si fieri posset, censere cuperem.* Eras. l. 6. apoph. *Amurathes 3. Turca flores horti divendi & pecuniam in ærarium ferri jussit, nulli debitorum dissolvit, congiaria militi rara aut nulla distribuit.* Soranz. in Ottoman. c. 47. Machiavellus *sorditiem principi ut vtilem commendat. Falsò, & contra principis naturam, ac interdum ingenti cum damno, ut deducit* AntiMach. l. 3. t. 26. *Pejora sunt hæc vitia, quàm*

vitia liberalitati opposita, quia partim in publicum peccant, & pernitiem Reip. inferunt: partim conspectiora sunt, & judiciis subjectiora, Cum vitium tantò conspectius, quantò major peccans est.

13. *Ita* absolutè *liberalitas visa:* Respectivè *cum cognatis & oppositis virtutibus spectetur.* Cognatæ *ei virtutes sunt, quæ aut modo agendi, aut medio ad illam exerendam ministrando conveniunt. Modo agendi* benignitas, *medio ministrando* sedulitas, sufficientia, & parsimonia *convenit.* Benignitas est virtus moralis directa, movens ad benefaciendum cuilibet, malefaciendum nemini. *Dicitur &* officiositas: *facitq́, ut prudenter officia nostra offeramus, & jucundè exhibeamus. Differt â liberalitate, quòd hæc in opum erogatione, illa in officiorum exhibitione consistat. Est* vel *spontanea, cum non roganti officium offerimus, ubi cavendum, ne intempestivè fiat: Sic enim officium ultrò oblatum minùs est gratum,* Angebothen dienst stinckt/ *ut Germani ajunt: vel efflagitata, ubi obsequium sit hilare & celere, juxta* Syrac. 10. v. 29. *Secus enim officia invitè præstita etiam fiunt ingrata:* Vel *compensans, cum moram officii magnitudine compensamus. De hac virtute rectè* Seneca d. tran. an. c. 11. Vir sapiens corpus suum, oculos, seipsum, inter precaria numerat, *vivitq́ commodatus sibi, & reposcentibus sine tristitiâ redditurus.* Opposita *ejus sunt* vel excessus, *nimia & promiscua officiorum projectio:* Vel defectus, *inhumanitas; malevolentia, inofficiositas, maleficentia, quæ nulli prodest, aliis obest, impediendo, conturbando, destruendo; quod ipsissimarnm furiarum est proprium, & comitem trahit* invidiam, *de bonis alienis tristitiam, quæ est Logica Diaboli, quâ committitur paralogismus comparatorum. Eam graphicè depingit* Virgilius *in carm. quodam, &* Ovidius 2. Metam: Sedulitas est virtus

mo-

moralis directa, movens ad facienda officia propria, & acquirendum aliquid, undè prudenter alij benefaciamus. *Dicitur & diligentia, gnavitas, satagentia. Facit alacriter opus suscipere, animosè continuare, & feliciter finire*. *Cogitandum hic:* Hoc age: *& Spartam nactus es, quam orna.* Oppositum *ejus est* Vel excessivum, *nimia satagentia, curiositas, polypragmosyne, quà alienis nasus ingeritur, omissis proprijs: vitium hoc seculo frequentissimum, sed scelestissimũ, & quod capitis diminutionem importare solet, ut in Funccio:* Vel defectivum, *torpor, ignavia, desidia, neglectus officij proprij, & otij affectatio. De hoc* V. Senecam ep. 94. Sufficientia est virtus moralis directa, desiderium opum moderans, & sui status contentationem inducens. *Dicitur & autarkeia, contentatio. Facit, ut opes admittamus in domum, non animum: & acquiramus illas, non corradamus: ut acquisitas prudenter erogare queamus, non obserare. Cogitandum hic:* Victus & amictus sunt divitiæ Christianorum. *Et illud Aulici: Cum dat oluscula mensa minuscula pace quieta: Ne pete grandia, lautaq; prandia Lite repleta.* Dur.d. Pasc. Aul. Pol. §. 3. Oppositum *ejus est* & excessus, *solicitudo Ethnica & immodica opes corradendi cupido, quâ cogitatur: Peregrina vacca semper uber gerit distentius:* Et defectus, *fastidium bonorum aut simulatus contemptus. Necessaria rebus humanis virtus est, quia tenax alienorum affectus*, t. 1. *Cujus rationes* Keckerm. l. 2. Eth. c. 3. *promit. Plura de eâ ap.* Amesium l. 5. cas. Consc. c. 57. & l. 2. med. c. 22. *librum, cui nomen,* Landstörtzer/ c. 33. *aliosq; vide.* Parsimonia est virtus moralis directa, providè acquisita custodire faciens, ut utiliter expendi queant. *Dicitur parcitas & parcimonia à parcendo. Docet & condere opes, ne egeamus: & non nimis recondere, ne sordescamus. Ita est velut promus &*

condus facultatum, basis liberalitatis, sine quâ nec exerceri hac, nec diurnare potest. Exempla ejus ap. Melandrum T. 1. Jocos. c. 311. seq. Olorinum l. 5. Ethogra. p. 181. seq. *vide.* Opposita *sunt* tenacitas, *nimia parcitas & avaritia, ut nihil egeratur, nec sibi homo, nec alijs commodet:* & profusio, *nimia in alios egestio, ut nihil nobis retineamus: De his postea.*

14. *Fuit liberalitas respectivè quoàd affines virtutes spectata: Restat spectanda respectivè* quoàd opposita sua, *quibus repugnat.* Opposita *liberalitatis sunt* excessus & defectus: *Et spectari possunt* vel *prout liberalitati opponuntur absolutè,* vel *collativè, prout inter se conferuntur.* Excessus *ejus est, cum nimiùm, quàm par est, usus opum exercetur. Dicitur asotia, profusio, prodigalitas. Nam liberalitas erat virtus mediocritatem circa usum opum servare faciens, largiendo vel accipiendo.* t. 6. *Ergò oppositum ejus excessivum est vitium, usum illum immediocriter ad nimium deducens. Si possessio opum spectetur, excessus potest dici avaritia & tenacitas: Si usurpatio, prodigalitas. Immediocritas hujus fit* & *ratione subjecti, cum datur illis, qui non sunt digni:* & *ratione modi, cum illegitimo modo datur, ut tempore, loco, personis, non convenientibus:* & *ratione rei, cum datur id, quod dari non debet;* & *ratione finis, cum datur fine incompetente, ut luxus & ostentationis gratia.* V. t. 6. Subjectum *ejus frequentius est* juvenis, *ob judicij imbecillitatem & affectuum importunitatem: Rarius senex, ob naturæ melancholicæ conditionem, & variæ experientiæ comparationem, quâ novit, quid sibi necessarium ac ex usu sit, adeoq; potius non dando peccat, quàm dando.* Dividi *potest* in simplicem, *quà simpliciter tantùm bona propria imprudenter prodiguntur:* & complexam, *quà insuper injuria additur, alijsq; bona surripiantur, ut in immeritos inutilitr prodigantur. Hæc in hodiernâ*

praxi militari contributionum usitatur, ubi expilantur innocentes, ut abundent furiæ. Defectus *est, cum minus, ac par est, opum usus exercetur. Dicitur avaritia, tenacitas. Dividi solet* in tenacitatem, *cum in dando deficitur, accipere moderatum manet, nihilq́ aliundè rapitur:* Quæstuositatem, *cum turpi lucro undecunq́ inhiatur. Huc usurarij, fœneratores & sordidis opificijs addicti pertinent:* & illiberalitatem *strictè dictam, cum & dando deficitur, & undecunq́ nummus corraditur. Prodigum & parcum complexus versu est* Ouvenus l. 3. ep. 65. Hic nisi post mortem veteri nil donat amico: Ille nihil, quod post funera donet, habet. *Prout* collativè *inter se extrema ista conferuntur, pejoritas unius præ alio attenditur. Ita* avaritia pejor *prodigalitate simplici æstimatur, quia plus à virtute recedit, nihil dare, quàm nimium dare: & difficiliùs corrigitur, quia senum est, quorum vitia difficulter corriguntur: & naturâ homo magis propendet ad retinendum, quàm largiendum: & majus incommodũ importat avarus, nullì benefaciens, nec sibi nec alijs, nisi quando moritur; &, si publicæ rei admoveatur, omnia habens venalia, quomodo Roma perijsset, si emptorem invenisset; & nullum officium tàm sanctum sit, quod non contaminet avaritia.* Cicer. pr. Quint. §. 26. *Quàm prodigus, qui & privatim multos opibus juvat; & publicè prodesse aliquando potest. Et in sese avaritia omnium vitiorum gravissimum esse dicitur, quatenus facit, ut multa & ingentia peccata ex eâ enascantur, Vt inhumanitas, nimia sollicitudo, violentia, fallacia, dolus, mendacium, periurium, fraus, proditio, &c. Vnde radix omnium malorum dicitur.* 1. Tim. 6. v. 10.

15. *Visa est liberalitas cum vicinis virtutibus: Videnda jam est* virtus cupiditatem honorum moderans, *quæ modestia dicitur. Ea 1.* in nomine *spectanda. Et hoc 1.* homony-

nymicè, *ubi tropicè modestia quamvis remissionem rei notat. Ita Tacitus hyemis modestiam dixit, ut notavi* dec. 1. d. 2. t. 16. *propriè* vel *dispositionem & pudorem naturalem circa honores, quomodo pueros modestos vocamus:* vel *habitum appetitum moderantem. Hocq;* vel *impropriè & generaliter pro omni habitu res jucundas moderante, ut vestitum gestumq; corporis, Venerem, cibos, potus: Ita Zwingerus modestiam in temperantiâ, liberalitate, magnanimitate esse ait.* Vol. 12. l. 1. p. 1775. vel *propriè & specialiter pro habitu honores mediocres moderante. Ita hic sumitur.* 2. Etymologicè, *Ita Grammaticè à modo & modico dicitur, quia modum honorum statuit, & circa modicos seu mediocres occupatur.* 3. Synonymicè, *quomodo & humilitas, demissio, dicitur. Græcis proprio nomine caret.* φιλοτιμία *in culpandis est, & ambitioni magis respondet, non honestis. Germanis* Demuht/ Niedrigkeit/ bescheidenheit.

16. 2. In re. *Ita* absolutè *in definitione, objecto & divisione spectetur: &* Respectivè *in cognatione & oppositione.*

17. Definitio *sit:* Modestia est virtus moralis directa, mediocritatem prudentiæ honestatis gratiâ servare faciens in honoribus veris, debitis, & mediocribus.

18. *Ex* genere *dicitur virtus moralis directa. Hæc ex* d. 3. t. 17. *patent.* Differentia *à formali ratione versandi & objecto proprio sumitur. Formalis ratio est, mediocritatem prudentiæ honestatis gratiâ servare facere. Mediocritas prudentiæ ex* d. 3. t. 2. 14. *servare facere ex* disp. 5. t. 6. *patet. Modestia mediocritatem prudentiæ servabit,* & *prudenter honores appetendo, velut secundum causæ & meriti dignitatem,* & *honoris proportionalẽ quantitatẽ,* & *modo competente, non ambitiosè aut impudenter honor appetatur:* & *acquirendo, ut legitimis mediis acquiratur, non vi, fraudibus, mendaciis, calum-*

lumnijs, metu, crudelitate, largitionibus. Sic quidam mendacijs in clarissimas familias se inserere voluerunt. Valer. M. l. 9. c. 16. & *admittendo oblatos competentes, respuendo incompetentes. Sic Alexander respuit civitatem Corinthiorum, ut sibi non competentem, nisi ubi & Herculi datam esse audiret.* Erasm. l. 4. apop. in Alex: §. 65. Seneca l. 1. d. benef. c. 13. *Sic Agesilaus divinos honores & templa Thasiorum contempsit, & seipsos primùm Deos facere debere respondit.* Erasm. 1. apop. in Ages. §. 26. & *acquiescendo, ut contenti simus, nec ultra modum & terminum honor appetatur, vel semper cogitetur: plus ultra:* & *defendendo ac conservando, ut legitimis medijs honor defendatur contra invidos, obtrectatores, Sycophantas, quomodo vim vi legitimis modis repellere licet. Plerumq; enim invidiæ subjacet honor, quia sublime quid est, quod invidia, ut umbra corpus, sequi solet: & possidentes splendidos facit. At omne splendidum detractionibus obnoxium. Vnde pro vero honore servando adversus maledicos & maleficos etiam cum vitæ dispendio certare debet prudens. Ita Susanna mortis periculum subire potiùs, quàm pudicitiæ honorem prostituere volebat.* Posse autem Christiano honores licitè appeti & possideri *contra Anabaptistas, Carlstadium, Enthusiastas, aliosq; negantes patet partim Scripturâ,* 1. Reg. 3. v. 13. 1. Tim. 5. v. 3. 17. *partim naturâ, velut* quòd *honor præmium virtutis sit; At virtutis præmium licitè Christiano appetitur:* quòd *virtutis sit medium, faciens, ut majore cultu eam prosequamur:* Quòd *sit bonæ famæ causa. At famam optimus quisq; mortalium desiderat.* Tac. 4. ann. c. 5. Dices: *Appetere honorem est appetere magnifieri ab alio. Sed hoc vetitum & Pharisaicum.* Matth. 6. v. 1. Rom. 12. v. 16. *R.* Appetere *magnifieri, si non merearis, est vitiosum & prohibitum: licitum, si merueris. Ita Scriptu-*

ra meritos honorare jubet, Rom. 13. v. 7. 1. Pet. 2. v. 17. *Et appetere magnifieri solius ostentationis gratiâ est Pharisaicum*, Matth. 6. v. 1. 2. 6. Honestatis gratiâ, *finem notat, ob quem medium circa honores servandum sit, ut honestas & decor moralis servetur. Virtus enim omnia sub honestatis formali agit & eligit*. d. 3. t. 15.

19. *Ex* objecto *dicitur modestia medium servare* circa honores debitos & mediocres. *Objectum modestiæ est* vel *internum, quod in ipso modesto est, ut appetitus concupiscibilis honorum*: vel *externum, circa quod tractandum modestia occupatur. Hoc est* honor. *Sub quo quodvis honoris signum, ut vestitus, cultus, servi, convivia, ædificia splendida, &c. comprehenditur. Spectandus hic autem honor est* & indifferenter, *prout à gradu exiguo vel eximio abstrahit; ita modestiæ & magnanimitatis objectum simùl est*: & determinatè, *ut ad certum gradum contractus est, eximium, ita magnanimitati tantùm objicitur. Dicitur* honor exiguus, *comparatione magnanimitatis, in quâ honor sublimior est, quàm in modestiâ: aliàs absolutè* honor est bonorum externorum maximum, *ap.* Aristot: 4. Nicom. c. 7. & s. 29. probl. q. 1. *Spectari* variè *potest honor*. Objectivè, *quà alicujus virtutis objectum est, circa cujus appetitum moderandum illa occupatur. Sic hîc spectari potest cumprimis*. Effectivè, *ut à virtute velut causâ & fundamento suo proximo dependet. Sic honor virtutis est præmium ex opinione benefaciendi in honorato conceptâ in honorante concitatum. Ita honorati dici solet, non honorantis*. Significativè, *prout actione aliquâ honorariâ opinio benefactrix & affectus internus promitur, & honorato exhibetur. Ita honorantis dicitur, non honorati. Hoc signum plus minusvè in honorante esse potest, prout affectus & opinio de præstantiâ ac merito honorati sederit. Sic Christus*

Prophetam non honoratum in patriâ dicit. Matth. 13. v. 57. *Et vulgò dicitur:* Inter nemo suos facilè inclarescit amicos. *In patriâ non est acceptus gente Propheta. Advena fama venit semper majoribus alis: Vberior seges est peregrino semper ab agro, Externumq́ pecus grandius uber habet. Pulcrè* Ovenus l. 4. epig. 189. Rex extra patriam vel maximus haud habet ullum Imperium: in patriâ nemo propheta fidem. *Causæ variæ esse possunt.* Vel *quòd â pueritiâ usq́ oculis & conversationi objectum habuimus, eoq́ vilius ducimus:* vel *quòd multi in vilitate parentum & familiæ hærent, & sic majorem virtutem in aliquo non agnoscunt aut æstimant. Sic Cicero ex Asiâ in Italiam reversus, domi nemo nomen meum, dixit, agnoscit, cum foris homines cælo illud adæquaverint:* Vel *quòd pravitate naturæ quidã vitia magis notant in indigenis, quàm virtutes;* Vel *aliјs de causis, de quib. plura ap.* Junium p. 1. qu. Pol. q. 15. Goclen. qu. Eth. 80. *aliosq́ vide. Prout hîc spectatur, potest* officium virtuti debitum meritum ejus repræsentans *definiri, cum* Scalig. ex. 317. s. 3. *De ejus naturâ & conditionibus plura quæri solent. Velut:* an & *habituum intellectualium sit præmium honor, an solorum moralium?* Cujus *virtutis moralis inprimis sit præmium, an beneficentiæ, & cur?* Quid *differat à laude, famâ, gloriâ, encomio?* An & *personis privatis competat, an publicis tantùm?* An *gradus admittat & quales?* An & *pueris & defunctis conveniat?* An *bonum sit dignum laude, an honore?* An *& à pravis exhiberi queat?* An *magis de tribuendo honore, an accipiendo debeamus cogitare?* An *vitæ, an honoris major sit habenda ratio? Hæc & similia disceptantem Vide* Piccolomin. gr. 8. c. 25. 26. seq. Timplerum l. 2. Eth. c. 6. Velstenium dec. 8. Eth. q. 2. 3. 4. *seq: aliosq́.*

20. *Fuit* definitio & objectum *modestiæ: sequitur* di-

visio. *Ita modestia ex objectis* vel *circa honorem ipsum esse potest*, vel *ejus signa & consequentia. Circa honorem ipsum est, cum officium & dignitas non ultra modum appetitur. Exempla ejus multa digessit* Zuingerus vol. 9. l. 2. theat. *Circa honoris signa est, cum signa ejus non ultra modum appetuntur. Vt vestitus, ornamenta, convivia, triumphi, privilegia; statuæ, salutationes, incurvationes aut honorum exhibitiones, &c. Exempla* Idem c. l. & vol. 8. l. 1. Drexelius l. 3. Trism. Christ. c. 8. 9. & Melander T. 1. jocos c. 311. seq. *suggerunt.* Jonstonus *moderationem vestium ad temperantiam retulit* l. 3. Eth. c. 2. m. 1. *Et interdum latiùs sumitur vox temperantiæ. Ita* Scaliger l. 3. Poet. c. 1. *nullis rationibus eam â quapiam virtute distinctam esse ait, sed matrem & normam cæterarum omnium. Temperat n. medium inter extrema: & fortitudinē, liberalitatem, justitiam, &c. per hanc esse id, quod sint.* Conf. d. 5. t. 3. *Sed rectiùs ad modestiam refertur, cui proprior est, quàm temperantia Philosophicè dictæ.* Ex gradibus *modestia* vel *communis esse potest*, vel *singularis.* Communis, *quæ in gradu usitato consistit, & absolutè modestia vocatur.* Singularis, *qua in gradu eximio, & magnanimitas dicitur. Hæc interdum sumitur* generaliter *pro quavis virtute circa summa & ardua versante, quomodo & fortitudo & magnificentia magnanimitas vocantur: Ita* Scaliger c. l. c. 11. *fortitudinis vel speciem vel perfectionem eam vocat, & virtutem dicit, quæ nihil sordidi vel probet, vel patiatur: interdum* specialiter *pro virtute circa honores ingentes occupatâ. Ita hic sumitur. Dicitur à magnitudine animi, notatq; extensionem animi ad magna* & objectivè, *ut objecta sint magna:* & extensivè *vel effectivè, ut modus versandi & actus circa illa sint magna. Græcis* μεγαλοψυχία, *Germanis*, Herrligkeit/ großmütigkeit/ *vocatur. Definitur* virtus moralis distincta, circa magnos

gnos honores appetendos & ſervandos mediocritatem prudentiæ ſervare faciens. *Dicitur virtus moralis, nam definitio virtutis* d. 3. t. 4. *tradita ei competit. Negat eſſe virtutem* Gualandus l. 10. Eth. c. 7. ap. Kecker. d. 24. Curs. Ph. q. 7. *quod tàm loedere poſſit, quàm juvare: & in præſtantioribus virtutibus exceſſus quidam tàm in bonam quàm malam partem cenſenda ſit. Vlteriùs id probari poſſet, quòd humilitati Chriſtianæ contrarietur. Virtus a. virtuti non contrariari debet: Et quòd circa magna verſari dicatur, cum virtus medium ſervare debeat.* Primum *confundit accidentalia cum eſſentialibus. Per ſe magnanimitas juvat, & in bonam partem intendit: per accidens loedit, & in malam deflectit. Secundum* t. 22. *patebit. Tertium ex* d. 3. t. 9. 10. *patet. Dicitur vir: diſtincta, quia partim à modeſtiâ & reliquis virtutib. moralibus differt, ut* t. 21. *dicetur: partim à virtute heroicâ, de quo* d. 9. *agetur. Mediocritatem prudentiæ ſervare faciens, nam in eo formalis verſandi ratio magnanimitatis conſiſtit, ut habeatur ratio appetendi & conſervandi honores amplos. Magnanimitas facit honores factis & ſtatui publico proportionatos moderatè appetere, juxta illud: Aut virtus nomen inane eſt: aut decus & pretium rectè petit experiens Vir.* Hora. l. 1. ep. 17. *prudenter ab honoratis & magnis acceptare; nam ab infamib. & vilibus honorem accipere eſt infamiæ conſortium admittere: ſapienter contra detractores defendere, & ab injurijs gravibus aſſerere: Leviores & non famoſas injurias contemnere & interdum ridere; ſonticas & famoſas leonis inſtar perſequi, qui diſcerpit, cum proſtrare non ſufficit. In munere publico dignitatem ſui ſtatus ſervat. Sic Fabius Gurges Conſul patrem equo juſſit deſcendere pro majeſtate officij, & peditem ad ſe venire.* Plutar. in Fab. Max. *& in publica proceſſu digniorem locum, etiam filius ſupra patrem, ſibi aſſeret.*

feret. In fortitudine honestis & necessariis periculis se objicit: largiendo promptus amplusq́ est magnif: accipiendo tardus ac invitus: Benefacta non opprobrat, nisi notando ingratitudinē hominū: accepta non magni\| æstimat, & potiùs remunerare cogitat: Nihil admiratur, ut insolitum: nihil stupet, ut magnopere supra se positum. In justitiâ opes non captat, nec earum gratiâ ulli injuriam infert: In conversando personarum rationem servat, moribus, sermone, cultu, gravis & verendus: Laconismo amicus, is n. strictus gravisq́ est, & est in illo quædam magnanimitas, ut Bartholin. c. ult. Rhetor: *loquitur: omnibus simùl suavis: In vero apertus & sincerus, nihil metuens, quod facit, qui dissimulat.* Non mutata quies probitasque secundis Intumuit tumor idem animo, moresque modesti fortunâ crescente manent, *Vt de illo canit* Statius d. Priscill. *Plurib. hæc deducit* Aristot. 4. Nicom. c. 3. Kecker. l. 2. Eth. c. 3. Danæus l. 3. Eth. Chr. c. 2. *quædam ut falsa hic reprehendit. Vt quòd magnanimus alios contemnat, nihil admiretur, benefacta nec æstimet nec recordetur, sua libenter laudari audiat, Ironicus sit, magnis se dignum æstimet. Sed distinguenda hic sunt* absoluta â comparatis. *Absolutè nihil horum facit magnanimus: sed comparatè, habitâ ratione donorum suorum, status, loci, personarum, virtutis excellentis, officij, vilitatis, aut novitatis, aut ignorantiæ, remunerationis, & ad ultrà benefaciendum invitationis, &c. Pluribus hic* Lessius l 3. d. just. c. 2. d. 2. & Keslerus fas. disp. d. 2. q. 6. *videantur.*

21. *Ex* objecto *dicitur, mediocritatem circa honores magnos appetendos & servandos servans. Objectum magnanimitatis est* honor magnus debitusque, *sicut modestiæ honor vilis & mediocris. Materiale objectum utriusq́ virtutis idem est, honor: sed hoc diversis modis in utraq́ afficitur, ut*

for-

formale objecti penè sit diversum, & sic fermè specificum discrimen utriusq́, si per analogiam & extra rigorem terminus sumatur, inducat, quomodo & de magnificentiâ dictum, t. 11. *Quæ enim virtutes circa objecta diversis formalibus & modis determinata versantur, specie differre dici possunt, etsi materialia objecta sint eadem. Sic circa bona externa versatur & justitia & liberalitas, sed diversis modis: Illa, ut justè distribuantur: hæc, ut largiendo communicentur. Ita modestiæ objectum est honor, quà mediocris: magnanimitatis, honor, quà insignis. Illius subjectum est quivis privatus, modicus, etiam fœmina: Hujus publicus, amplus, eminens, cumprimis mas: Illius affectus est mediocris & exiguus: hujus eximius, splendidus & insignis: Illa sermonem, vestitum, gestum, &c. demissum & sedatum requirit: Hæc gravem, splendidum, majestate ac dignitate plenum. Illa fundamentum habet meritum tenue, privatum, & exiguum: Hæc ingens, publicum, & Reip: utile, honore laudeq́, dignissimum.* Dices: Si ita *ex objecto magno & paruo distinguitur magnanimitas â modestiâ, Cur non &* temperantia *sic distinguitur, ut alia circa magnas, alia circa parvas voluptates versetur:* & mansuetudo, *ut alia circa magnam iram, alia circa parvam:* & fortitudo, *ut alia circa magna pericula, alia circa parva versari dicatur? Sufficiens etiam in his virtutibus distinguendi fundamentum esset, si magnum & parvum distinctas virtutes introducunt. R.* 1. Magnanim. *& modestia non tantùm ob honorem parvum & magnum distinguuntur, sed & ob rationem subjecti publici & privati, effectus publici & privati, modorum agendi diversorum, & aliorum, quæ simùl concurrunt, & non in temperantiâ aut fortitudine inveniuntur.* 2. In *temperantiâ, mansuetudine & fortitudine id tantùm objectum est, quod magnum est, alicujus momenti, & notabiliter afficiens: Parva enim*

voluptas, ira, aut adversitas notabiliter subjectum non afficiunt, unde virtute, quâ ad medium revocentur, non indigent: Et sic temperantia parva a. magna ab objecto esse nequit, Quia ejus objectum tantùm voluptas notabilis est: Sic fortitudo circa insigniora pericula versatur: levia propulsare tolerantia potest, non peculiari virtute eget: sed in appetitu externorum bonorum, ut honoris & pecuniæ, & parva objecta, & ingentia *vehementer appeti possunt, unde utrisq; virtus modum præfigens danda est, Cum circa utrumq; objectum notabiliter appetitus deviare queat. Hinc liberalitati addenda magnificentia, modestiæ magnanimitas. Non ita in temperantiæ, mansuetudinis aut fortitudinis objecto erat. Conf.* Thomam sec. 2. q. 129. a. 2. *Cumq; objectum magnanim: speciale detur, honor magnus; etiam* ipsa virtus specialis *erit circa tale objectum occupata, & sic distincta erit ab omnibus reliquis virtutibus moralibus. Interdùm generale omnium ornamentum dicitur, quòd magno modo universas extollat, earumq; apex & fastigium sit. Quomodo generalem vocant, ut prudentia generalis & specialis sit, quâ ratione explicat* Keslerus dis. d. mag. q. 2. *Sed multum hic discriminis est. Prudentia non est generalis, ut ornamentum cæterarum, sed ut directorium,* d. 3. t. 17. *Differunt a. ornamentum rei, & dirigentem esse. Nec ut justitia Universalis generalis dicitur, ut Idem ex* Kecker: *illustrat: Nam & hæc ut directrix est, non ornatrix: & cæterarum virtutum ad certum respectum ordinatrix, non exornatrix.* d. 4. t. 6. 7. *Sed magnanimitas generalis dici potest, si vocem largè usurpes.* V. t. 20. *Non, si strictè & Philosophicè. Exempla magnanimorum ap.* Zvinger. Vol. 9. l. 2. *vide.* An Christus possit dici magnanimus, *hic quæri solet? Negat id* Scaliger *in Poëticis, ap.* Taubman. in cul. Virg: v. 354. Sensu morali *non potest: sed eminentius quid fuit magnanimo morali. Non sibi*

sibi virtutes per actus acquirere necessum habuit: sed infusas, & per unionem ad Deum eminentiores moralibus habuit. Neq; in ipso opposita moralia *locum habere ullâ ratione potuerunt, quod aliàs in virtuosis hominib. in vitia degenerantibus fieri potest. Fuit n. sanctus sanctorum.* Dan. 9. v. 24.

22. Oppositum *magnanimitatis* vel *apparens est*, vel *verum.* Apparens *est Christiana humilitas, quam magnanimitati opponunt Anabaptistæ, & honores licitè à Christiano appeti aut accipi posse negant. Quòd Scriptura humilitatem commendet.* Sirac. 3. v. 20. *pueris nos assimilari jubeat.* Matt. 18. v. 3. *At illi nec honores cupiant, nec aliquid de se sentiant: Exemplum Christi proponat, qui etsi in formâ DEI esset, formam servi assumpserit.* Phil. 2. v. 6. *Vetet magna appetere.* Rom. 12. v. 16. *Omnes coram DEo pares faciat, peccatores.* Rom. 3. v. 23. *Vetet titulos honoratos dari, aut assumere.* Matt. 23. v. 8. Contrarium t. 18. *est ostensum. Ad dicta Scripturæ solvenda notetur, 1. Magnanimum spectari* vel *in se suisq; viribus, prout privatum & Christianum in foro poli & spirituali: Sic ratione defectuũ & peccatorum humilis & demissus esse debet:* vel ut *publicum, & in foro politico ad alios inferiores comparatum, varijsq; donis DEi instructum: Ita ob virtutis eminentiam dignum se magno honore judicare, eumq; moderatè appetere & recipere potest. Hic valet paradoξov, quo dicitur: Summè humilis potest esse summè magnanimus.* V. Lessium l. 4. de just. c. 4. n. 51. 2. *Sublime interdum in sacris notare nimium, superbum, & incompetens statui: sic sublimes oculos odisse dicitur Deus.* Prov. 6. v. 17. *sublimem animum David.* Psal. 101. v. 5. *Ita Christianus sublimia nec appetere nec recipere potest: Interdum excellens, sed competens. Ita DEus ipse sublimia promisit pijs, & præstitit.* Deut. 28. v. 1. 1. Reg. 3. v. 13. *Humilitatis oppositum est* Superbia, *quæ à*

quo-

quovis vitanda: non magnanimitas, quæ à competentibus appetenda.

23. *Verum oppositum* vel *excessus est*, vel *defectus*. Excessus, *qui modum in magnis honorib. ejusvè signis appetendis excedit. Dicitur factus, fastuositas, & superbia. Ejus effectus sunt ostentatio & jactantia in verbis, affectatio in gestibus, pompositas in sermone, cultus nimius in vestitu, contemptus in judicio. Sic Cæsar nimios honores suscepit, consulatum continuum, dictaturam perpetuam,&c.* Sveton. in Cæs. §. 76. *Et Domitianus cum procuratorum nomine formalem epistolam dictaret, præscripsit: Dominus & Deus noster sic fieri jubet. Statuas aureas & argenteas sibi poni voluit.* Svet. in Dom. § 13. *Exempla horum plura ap.* Zvingerum Vol. 8. l. 5. & vol. 9. l. 4. Drexelium c. l. c. 7. *quæras. Ex speciebus* fastus vel *rusticus dici potest, qui cum incivilitate junctus est*, Pawerstoltz: vel *aulicus, qui cum civilitate*. Hoffstoltz/Jungkerstoltz. Defectus, *qui in modo honorem appetendi aut servandi deficit. Dicitur pusillanimitas & dejectio animi. Estq;* vel *vera, cum ex animo honor etiam meritus respuitur. Hoc peccatum offendit DEum, cujus dona non agnoscuntur: virtutem, quæ debito præmio exarmatur: seipsum, cujus sinistra suspicio aliis conciliatur. Exempla* Zvinger. vol. 9. l. 2. *refert*: vel *simulata, cum in speciem honores respuuntur, animo appetuntur. Ejus exemplum est Tiberius.* Sveton. Tib. §. 24. 25. *Comparata inter se hæc vitia, excessus & defectus*, utrum pejus sit, *quæri solet? Quadantenus pusillanimitas deterior dicitur, ob finem, quòd hominem prorsus Reipub: inutilem faciat; Superbia quadantenus utilem relinquat. Sed Superbia deterior est ob originem, quia à Diabolo: cum pusillanimitas à naturæ vitio esse queat: & motionem, quia ad valida, varia, & noxia impellit, ut largitiones, factiones, seditiones, bella, regno-*

rum-

rum & urbium eversiones, cum pusillanimitas quietum præstet, & cogitantem: λάθε βιώσας, latenter vivendum.

24. Ita modestia ex definitione, divisione, gradibus & absolutè spectata: Respectivè cum oppositis sibi vitiys spectanda est. Ea vel excessus sunt, vel defectus. Excessus, cum honores aut sine fundamento, virtute, aut nimij, quàm virtutibus modicis debentur, ambiuntur. Dicitur ambitio. Quæ esca est, quam capere conantes plerique capti pereunt. Sic Pyrrhus Italiam, Lybiam, Graciam, Siciliam, vastare cogitans, in obsidione urbis alicujus saxo percussus obijt. Casus l. 4. Eth. c. 4. Sine fundamento, sic Herostratus ex Dianæ templo incenso gloriam sperabat. Zving. vol. 18. l. 9. Nimij, Sic Cæsar nimios honores suis virtutibus recipiebat. Sveton. Cæs. §. 76. Hic illud cogitandū: Quantò superiores sumus, tantò submissiùs nos geramus. Cicero 1. offic. §. 90. Et illud: Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est. Hor. l. 1. ep. 7. Huc pertinent, qui modum in vestimentis excedunt, aut formam a. materiam eorum ultra debitum extendendo. De quibus Manlium p. 341. seq. vide. Defectus, cum honores debiti & officium vel merita decentes respuuntur. Hoc vel verè, estque animi levitas & dejectio, qualis in Diogene, qui se canem appellabat: sordideque vivebat. Laërt. l. 6. vel affectatè, cum nimis dejectè quis sua extenuat, & honores detestatur. Ita Carolostadius titulos Doctoris reijciebat, & Nachbar Andreß vocari volebat. D. Hunnius d. error. Anab. th. 64. Huc pertinet, cum nimis humaniter decentem locum, gradum, honorem, excusamus & non admittimus. Præter virtutem utrumque est. Superiorem te locum a. statum insolens est affectare: & te decentem respuere aut nimis fastidiosè reijcere, ineptum est. Ita in aulâ Bavaricâ quidam inter hospites sedem jussus occupare diu multumque renuit. Ad ultimum Mareschallus aulæ: Quæso te, baculum meum capesse, & te unâ cum me col-

collocato pro arbitrio tuo. Ita obsequentem experieris. Hæc de liberalitate & modestiâ, cognatisq; virtutibus dicta sufficiant.

Adjectaneum.

Mariam Magdalenam, *cujus mentio* Luc.8.v.2. & Joh. 11.v.2. *est, peccatricem illam apud* Lucam c.7. v.37. *esse, Postillatoribus alijsq; vulgatum est. Sed conjectura incerta admodùm est, nulloq; liquido fundamento nixa. Maria Magdalena dæmoniaca fuit.* Luc.8.v.2. *Hæc peccatrix tantùm vocatur.* Illa *semper determinatè Maria dicitur:* hæc *tantùm mulier indefinitè. Unctio Mariæ in Judæâ contigit, in Bethaniâ.* Joh.12. v.3. *& ipsa Maria Judæa fuit.* Joh.11.v.1. *Unctio peccatricis in Galilæâ contigit, & ipsa mulier Galilæa fuit.* Luc.7.v.37. *Unctio Mariæ paucis ante passionem diebus facta.* Matth.26.v.7. Joh.12.v.1.3. *Unctio peccatricis diu ante passionem, ut ordo narrationum in Lucâ docet.* Maldonatus in c.26. Matth. v.6. *ad tacitum Ecclesiæ sensum confugit, & quòd* Ioh.11.v.2. *Maria ita describatur, quòd unxerit Dominum. Quod fieri non posset, si & alia mulier unxisset.* Toletus in c.11. Ioh. v.1. & Baronius *in ann. ad ann:* Chr. 32.n.17. *similiter ad declarationem Ecclesiæ Romanæ confugiunt. Sed hæc vilia sunt, Et nodum non solvunt, sed secant. Ecclesia non potest id, quod per se falsum est, suâ declaratione verum reddere. Et unde probabitur, Iohannem* c.11.v.2. *accuratam descriptionem mulieris peccatricis apud Lucam tradere voluisse? Aut lectorem incertum dimitti, nisi Maria Iohannis præcisè sit hæc peccatrix Lucæ? Satis unctricem determinat Ioannes, cum Mariam vocat, sororē Marthæ & Lazari, â pietate describit, etiamsi hæc peccatrix non præcisè fuerit. Ex postfacto ita eam* per anticipationē *describit, non quid jam fecerit, dicens, sed quid factura postea sit.* c.12. v. 3. *Quo narrandi more nihil apud Evangelistas usitatius. Nec id satis sequitur: Si ab unctione describitur Maria, nullā aliam præter eam unxisse oportuit. Perinde ac si Nicodemum ab unctione Christi describas.* Ioh. 19. v.39. *& inde Iosephum aut mulieres excludere velis.* v.40. *Aut Ulyssem, quòd multorum regiones viderit & urbes, indequè solum talia vidisse inferre velis. Ita nullâ parte ista opinio sibi constat.*